

SPECIMEN
STYRIÆ LITERATÆ

AD

SUBSIDIA OPERI PERFICIENDO NECESSARIA

IMPETRANDA

ERUDITIS INCLYTÆ GENTIS VIRIS

EXHIBITUM

A FR. XYSTO SCHIER


EREMITA AUGUSTINIANO.



VIENNÆ,

TYPIS MARIÆ SUSANNÆ JAHN,

TYPOGR., ACAD,



Eruditis inclyti Ducatus Styriæ

VIRIS CLARISSIMIS

Xyftus Schier Auguftinianus felicitatem!



Specimen exhibeo operis, quod magna jam parte paratum vestro subsidio non dubito perficiendum; ea siquidem est inclyti Ducatus hujus fertilitas & abundantia præclarorum ingeniorum, ut non modo cum aliis regionibus certet, sed etiam multis excellentia & fama palmam eripiat. Quis enim nesciat Erasmus Frölichium, Martinum Zeillerum, Joannem Strobelbergerum, viros eruditissimos? Quis ignoret Joannem Cæsarem illustrium annalium Patriæ scriptorem, Joannem Sigismundum Popovitschium, plures alios adhuc vivos? Etsi vero tum hi, tum alii suis de omni literatura meritis sint celebratissimi, plurimi tamen superant, qui adverso fato tristibus in tenebris ignoti jacent, vestra vero opera claram in lucem educi possunt. Ego quidem persuasus sum ita copiosos latere, ut facile quingentos superaturi sint, quorum memoria parva, aut ne ea modo apud ullos rei literariæ scriptores habetur. Dederunt asceteria Benedictina priscis temporibus viros inclytos, qui soli meliora studia in his partibus, & fere per Europam ævo barbaro conservarunt; tum enim scholas solis in monasteriis cultas fuisse, nemo unquam, etiam monasticæ vitæ quam maxime infensus, negavit. Dederunt etiam renatis literis, neque adhucdum desinunt omne genus doctrinæ

excolere. Sua sunt ab eruditione illustria decora collegiis Adm. RR. DD. Canonorum Regularium, neque illis destituuntur alii Regulares coetus. Quin etiam Ecclesiasticus Ordo, quamvis animarum cura, laboribusque Apostolicis a scriptione videatur avocari, complures e gremio suo subministrat, qui ingenio suo Bibliothecas locupletarunt. Ab iis autem, qui Reipublicæ sive juris scientia, sive medica, oeconomica, aliisque artibus servierunt, non modica habetur accessio; quibus fit, ut tantus, quantus mihi apparet, numerus non sit desperandus. At non æque facilis est eorum recensio; quo enim antiquiores sunt (oportet vero istorum plurimos superesse) eo majoribus res est obnoxia difficultatibus, quod illorum erudita opera, non nisi manuscripta in Bibliothecis dispersa lateant: universim autem vix cuiquam de Patria, ætate, genere vitæ, muneribus clarorum virorum certo constat, nisi eis, qui sociam cum illis vitam duxerunt, aut in eorum officia successerunt. Cognoscitis ex his, opinor, Viri Clarissimi, quæ mea sit petitio, audax quidem, sed ad alios non dirigenda, quam ad viros in hanc ipsam classem referendos, quibus non minus cordi est antecessores suos ad vitam revocare, atque semet posterorum memoria dignos præstare. Agite igitur, & quæ vobis in hanc rem parata est, suppellectilem, aut quæ alia sive unius sive plurium suppetit, notitiam mecum, vel potius cum orbe literato communicate. Faciet istud ad gloriam gentis vestræ, posterisque parvis in vos æmulationis exemplum præbebit; mihi vero volupe erit, hoc opere gratum animum ob beneficia, quibus gens vestra fratres meos nunquam non fovit, demonstrare. Dabam Viennæ Austriæ ex ædibus Augustinianis ad SS. Sebastianum & Rochum Idibus Maji An. MDCCLXIX.

I. OTTOCARUS AB HORNECK.

Agmen in hoc specimine, prope, ut fortuna tulit, absque discrimine facto, ducat Poeta Germanicus, cui tamen inter Historiographos terrarum nostrarum locus honoratus debetur. *Ottocarum* se ipse cap. CLXXVII. chronici sui dixit, *Hornekii* cognomen Wolfg. Lazius (comment. in Genealog. Austr. C. I. p. 21.) primus prodidit, sicut etiam manus recentior in codice MS. Cæs. ad cit. chronici locum adnotavit: *Ottocharus] ab Horneck Styru Autor historia Consil. Rudolphi Cæsaris.* Quamvis autem ista certitudinem non præstent, neque Illustrissimo Gentilotto (in comment. lat. Bibl. Cæs. MSS.) satisfaciant, piaculum tamen existimavi opinioni huic contradicere, a qua Lambecius, Nesselius, Pezsius, Khautzius integre non recesserunt. Cæterum ex eodem chronico certum habemus *Ottocarum* & *Styrum* nobilem fuisse & *Ottoni* de *Liechtenstain* a servitio extitisse. Vixit ad an. M. CCCX. Opera ejus sunt:

1. *Chronicon Rythmicum Germanicum Austriacum ab an. MCCL. usque MCCCIX.* Edidit illud R. P. Hieronymus Pezsius Tom. III. Scriptor. rer. Austr. eique glossarium Germanicum adjecit. Affirmat hic lectori, *Ottocarum* in rebus patriis satis accuratum esse; cum vero ad exteras gentes declinat, non nunquam hallucinari; quod & ego alibi ostendi.
2. *De Monarchis & Imperatoribus ad Fridericum II. usque.* Meminit ipse hujus sui operis in præfatione cit. chronici. Sunt, qui dicant, superesse MS. in Bibl. Cæsarea; verum id falsum esse mihi Perillustris Franc. Adamus Kollarius Bibl. ejusd. Custos primarius testatus est, & pervolutus MSS. Codd. catalogus me edocuit. Videtur igitur periisse.
3. Opus *de Pontificibus Romanicis* promisit Autor cap. CDXXXVII. cit. chron. An perfecerit? ignoratur.



II. NICOLAUS DE GRAZ.

Natale solum hic, uti & sequentes, Patrio cognomini prætulērunt, more ævi sui. Fuit Nicolaus artium Professor & Prior in Ducali collegio Universitatis Viennensis, dein an. MCDXXXIX. SS. Th. Doctor creatus est. An. MCDXXXVI. Rectoris munus gessit. Vir inter collegas majoris æstimationis, ab Academia illis adsociatus, qui publico nomine Universitatis Parisiensis Legatos an. MCDXXIX. sæpius inviserent. Videtur adhuc an. MCDXLVI. vixisse. Habentur ejusd. opera MSS.

1. *Postilla super Dominicas per annum.* Inc. *Erunt signa in sole &c. Salvator noster.*
2. *De decem Præceptis.* Inc. *Charissimi sicut præcepi.*
3. *Commune de Sanctis.* Inc. *Gaudete & exultate &c. Sanctis Apostolis. &c.* omnia hæc uno chart. codice. fol. in Bibl. ad S. Hippolytum continentur; in assere posteriori legitur: *Postilla aurea super Dominicas per circulum anni, & decem præcepta Magistri Nicolai de Grez, & commune unum de Sanctis, & totum in bona litera per ij ff. & bene valde valet.* Sermones de Sanctis sunt etiam in Bibl. Cæsarea.
4. *Sermo in die Parasceves.* in Bibl. Cæs.
5. *Sermo in festo S. Catharina.* Ibid.
6. *Collationes dua aulares.* Utraque inc. *Homo quidam.* In Mellicensi chart. A, s.
7. *Tractatus de decimis.* Inc. *Utrum emanaverit institutio decimarum.* chart. fol. in Claustroneoburg.
8. *Tr. de emptione & venditione.* chart. fol. Ibid.
9. *De observantia Religiosorum.* chart. 8. in Lunælacensi.
10. *Expositio Symboli fidei.* Inc. *Quicumque homo habens usum rationis.* ch. in Bibl. ad Scotos Viennæ, & in Cæsarea, Claustroneoburgi, Lunælaci, Ratisbonæ. In nostra Viennensi bis habetur, sed anonyma,



III. HIERONYMUS DE JUDENBURGA.

Ignotum cæteroquin Virum solus ejus labor ab oblivione vindicat. Discimus hinc Zelosum in vinea Domini operarium cum in natali solo, tum Viennæ Austriæ extitisse. Floruit an. MCDXLVIII. In Mellic. superest in cod. chart. fol. P. 13. opus peramplum, sed in fine mancum:

Comportatorium super totam Missam cum questionibus: Inc. Quoniam sapientia clamitat. In præfatione Autor de labore suo & tempore scribit: *Nec aliquid mihi in hoc adscribo, nisi solum, quem in comportando feci laborem &c. Et de anno Domini 1447. per totam quadragesimam, & ex post aliis diebus populo oppidi Judenburgk & demum Vienne in hospitali me existente Capellano de anno Domini 1448. per solam estatem, autumpum & hiemem omni die Dominico post prandium feci, predicando &c.* Debeo notitiam hujus codicis, aliorumque nonnullorum Cl. Bedæ Schuster Bibliothecario Mellicensi.

IV. JOANNES DE GRAZ.

Artium Magister, Decretorum Doctor. P. Fridericus Tilmezius in conspectu Historiæ Univ. Vienn. P. I. ad an. 1422. narrat, Joannem & M. Stuckler e juridica facultate, domo pro Silestarum contubernio fundata, quam absque Rectoris vel Academiæ consensu occupaverant, fuisse depulso. Zagrabiam delatus & Canonicatu illius Ecclesiæ potitus & Archidiaconus Urboczensis creatus est. Reverendissimus Kersefelichius P. I. Historiarum Ecclesiæ Zagrab. p. 178. reliqua suppeditat: *Joannes de Gretz Doctor Decretorum ad curiam Romanam causa Jubilai consequendi 1450. pergens in itinere obiit. Conscripsit librum: Expositio Evangeliorum, quem a se compositum legat Ecclesiæ Cathedrali.*

V. JOANNES HYMEL.

Weitsium seu Weitzium Archidiaconatu nunc illustre, nativitate sua reddidit quondam celebre Artium in Uni-
ver-



versitate Viennensi Joannes Hymel, alias latino idiomate *Cæli* dictus. Is, præterquam quod Facultatem artium bis, Theologicam sexies rexerit Decanus, ipsi Universitati primum an. MCDXXV. calamitoso ob pestis sævitiam tempore, tum an. MCDXXXLVII. & tandem victus precibus etiam an. MCDXLI. Rector præfuit. Hæc Viennæ. Foris amplius inclaruit legatione ad Concilium Basileense, cui ut Alberti Austriæ Ducis Orator quatuor annis adstitit, ea commendatione, ut redux Generalis indulgentiarum a Concilio concessarum Commissarius, simulque inter Austriæ & Moraviæ Reformatores Ecclesiasticos constitueretur; posteriori tamen ejus dignitati, quin effectum sortiretur, Pataviensem Episcopum intercessisse testis est Ludov. Schœnlebenius. Remissum an. MCDXLI. Basileam in Facultatis Theologicæ negotiis, moxque reversum esse narrant Acta. Absoluto sexto Decanatu an. MCDXLIX. haud diu superstes fuit; nulla enim posthac ejus fit mentio, nisi an. MCDLI. ubi jam *felicis recordationis* dicitur. Superfunt MSS. ejus

1. *Lectura super quatuor libros sententiarum*, Fol. chart. in Bibl. ad S. Dorotheam.
2. *Questio: utrum DEVS concipiendo Deum, ipsum concipiat voluntarie*, Chart. 8. Ibid.
3. *Questio de Conceptione B. M. Virginis super 3. sent. dist. tertia. Inc. Utrum Beata Virgo concepta fuerit in peccato Originali*, chart. 8. Ibid.
4. *Determinatio questionis, de sanctificatione Sabbathi*, in Cæsarea.
5. *Positio quodlibetica an. 1406. utrum qualibet virtus sit passionum moderativa?* In Bibl. Mellic. ch. 4. A. 7.
6. *Decreta Concilii Basileensis ab eo congesta*, ch. 4. in Bibl. Cæs. Infertus est sermo in festo Conceptionis B. M. V. dictus, cujus ratione ei Schoenleben in sexagena Doctorum, piæ sententiæ Patronorum locum dedit.

Tribuuntur etiam nostro *Commentaria*, sed, in quid ea fuerint, nemo indicavit,



VI. LAURENTIUS GRUEBER.

Græcio ortus, Artium Magister in Universitate Viennensi an. MCDXXXVII. creatus obtenta super actibus & tempore complendis dispensatione Mellicii Benedictinum institutum secutus est. Supprioris ibi munus gerens an. MCDXLVIII. Cellas Mariæ Abbatiali dignitate gubernandas suscepit, & vigesimo post anno Gotvicum Abbas postulatus non minorem laudem tulit. Mortuus VII, Kal. Jan. MCDLXXXII. Cætera ejus encomia & merita de Ordine Benedictino, dum per Austriam, Styriam, & Carinthiam Vistatorem ageret, Cl. P. Martinus Kropf in Bibl. Mellicensi p. 441. recenset. In cod. diplom. Bern. Pezii Part. III. p. 225. extat ejus Epistola ad Joannem de Weilhaim tum Priorem Cellæ Mariæ, qua viri hujus virtutem ac doctrinam, suæque Præfecturæ misérias exponit. MS. est in Bibl. Mellic. cod. P. 25.

VII. PETRUS ENGELBRECHT.

Ex Baselyio Styriæ oppido (ut refert Bruschius Centur. II. p. 196.) natus artium Magister ac Professor, Friderico Imp. a Confessionibus & Maximiliani I. pueri literarum moderator, primus Neapolis Austriæ ordinatus Romæ an. MCDLXXVII. Episcopus Pietatem ejus commendat instituta solennior celebratio festorum B. M. V. Visitationis & Conceptionis. Obiit die XIX. Martii an. MCDXCI. fato, si dicere licet, bono, scilicet priusquam Maximilianus gubernium adiret; hunc enim cognitis melioribus studiis, quibus erudiri potuisset, postea dixisse refert Cuspinianus: *Si hodie præceptor meus viveret Petrus, quamquam multa præceptoribus debeamus, efficerem, ut se instituisse me poeniteret.* Sed hoc non tam Petri culpa, quam temporum contigit, quibus non nisi sophisticæ lites erant in pretio. Sepultus is est in Cathedrali templo ante aram maximam. Lapis sepulchralis nunc ad parietem erectus hanc conservat adhuc inscriptionem: *Anno Domini 1491. XIII. Kal. Martii O. R. in Christo Pater D. Petrus En-*



gelbrecht - - - Nova civitatis Praesul hic sepultus, cujus anima requiescat jugiter gaudens.

Superest in Archivo Episcopali Neapolitano codex membranaceus multa continens memorabilia sui temporis, quem Raym. Duellius (de templi Cathedralis Austriaco-Neapolitani fundatione p. 16.) magnam partem a Petro conscriptum, *non sine*, ut ait, *fundamento*, suspicatur.

VIII.

BRIGCIUS PREPOST.

Cilejensis collegiatus in Universitate Viennensi Artium Professor tum etiam Sacrae Scripturae. Rectoratum ter gessit, praclaris talentis, virtutibus simul, & favore Friderici Imp. quo gaudebat, eminens obtinuit, ut Canonicis Viennensibus adscriberetur. Multa apud Universitatem meruit Legationibus peractis: non tamen impetrare potuit, ne, dum causam Georgii de Cilia imprudenter tueretur, gravissimam animadversionem incurreret: nam & excommunicatione adversus eum est processum, & ipse tumultui cedens aliquamdiu in Patavino Italiae studio versari coactus est. Reconciliatus postea Oratoris ad Principes munus iterum suscepit. Fundavit, Edero teste, aliquot stipendia in Bursa agni. Vixit adhuc an. MDV. cum octavum Facultatis Theologicae Decanatum administraret. In Bibl. Caes. habetur MS. cod. chart. fol.

M. T. Ciceronis Rhetorica cum commentario Bricii de Cilia an. 1469. scripto. Videtur etiam aliqua de duobus Administratoribus Ecclesiae Viennensis, Joanne Strigoniensi & Bernardo Salisburgensi Archiepiscopis scripsisse, occasione Vicecancellariatus ab Andrea de Potenprun sub utroque gesti. Sic enim in actis an. MCDLXXXIII. adnotavit: *Hujus autem permutationis historiam consulto hic obmissam, alibi tamen in tempus suum delitescentem opera pretium est videre.* Sed ubi lateat, perieritne, non constat.

IX.

WOLFGANGUS KHAYNER.

Clericus Leobienensis, cujus aliquam ex Codice autographo Bibliothecae nostrae notitiam habeo, Narrat in eo productis variis



riis chartis Parentes suos, fratres, sorores, cognatos, soceros, quos vero scire nihil refert. An. MDXV. a Bertholdo Chiemensi Episcopo Acolytatum accepit. An. MDXVIII. albo Universitatis Viennensis nomen dedit, quod his in codicem suum adscripsit: *Wolfgangus Khayner Leobentinus in album laudatissimi studii Viennensis ac Archigymnasii intitulatus anno virginiei Partus millesimo quingentesimo decimo octavo, die vero Veneris quatuor temporum, quo in Ecclesia DEI canitur: Venite adoremus: per Magnificum & egregium Udalricum Khauffmann Campidonensem Artium & legum Doctorem, insignis Cathedralis Ecclesia Divi Stephani Viennensis Canonicum, nec non eo auro Universitatis Rectorem. Et sub Clarissimo viro inlyta Facultatis Artium Decano Magistro Stephano Maus; & sub venerabili Magistro Domus aurei leonis conventore Stephano Sprugl Hallensi. Actum anno & die supra scriptis, etiam Leone X. Pontifice, & Romanorum Imperatore orbi Maximiliano terrarum felicissime presidentibus, Degebat adhuc Viennæ an. MDXXII. Continentur autem in memorato chart. codice sequentia.*

1. *Geographia.*
2. *Adnotationes ad Cosmographia Cl. Ptolemai introductionem.*
3. *Compositio horologiorum in omni muro, seu plaga.*
4. *Structura phæbilabii hemisphærii concavi.*
5. *Fabrica horologii, quod phœbilabium dicitur.*
6. *Algorithmi enchyridion.*
7. *Musica figuralis opellum.*
8. *Exemplar artificiosæ memoriæ.*
9. *Hortulus sententiarum & dictionum ordine alphabetico.*
10. *Commentariolus in septem psalmos poenitentiales: item additamenta in Ecclesiasticum.*
11. *Adnotationes in secundum librum M. Bandini.*
12. *Epistolarum proverbialium Ant. Fav. additamenta.*
13. *De Archigymnasio Vienna Pannonia quadam.*
14. *Sententiæ in aula Universitatis, & lectoriis annotata.*
15. *Epitaphia adis S. Stephani & aliarum Ecclesiarum.*



16. *Recapitulatio librorum titulos continentiasque exponens.*
 17. *Autorum sententia & notabilia varia.*
 18. *Conventus haredum utriusque partis. Autor sua narrat.*

X. PETRUS FREYLENDER.

Ex Wolfsperg Styriæ oriundus artium Magister, & Professor in Universitate Viennensi; antea ibidem conventor Bursæ agni. Docuit adhuc an. MDXXIV. Extat in referenda collectione Khulberiana.

Ad Reverendiss. in Christo Patrem & Dom. D. Christophorum Episcopum Labacensem, & Ecclesiæ Seccoviensis Administratorem Magistri Petri Freylander Gymnasi nomine Oratio. Dixerat eam an. MDXV.

XI. CHRISTOPHORUS KHULBER.

Græcium merito gloriari potest Christophoro, cui vitam dedit. Is in Universitate Viennensi Artium Professor in Collegio Ducali, inde Theologiæ Doctor & Professor stipendiatus, Canonicus Ecclesiæ Cathedralis & custos præter multoties in utraque facultate gestum Decanatum septies Rectoris officio functus est. Joannes Eckius Disputator ille celeberrimus, & fidei Catholicæ vindex eum ab acuto ingenio, quodque *accurate, & in forma, quod aiunt, rationes suas validas strinxerit*, laudavit. Vita excessit Viennæ pridie festi SS. Gervasii & Protasii, & sequenti die traditus est sepulturæ in choro Ecclesiæ Divi Stephani, cui posteritas statuit lapidem adposita inscriptione: *A. Dni 1529. die 18. mensis Junii obiit subsepultus Clarissimus vir Art. & Theol. Professor Lector Ordinarius atque Canonicus & Custos Ecclesiæ hujus D. Doctor Christophorus Khulber ex Graz.* Fundavit stipendium pro alumnis nationis Styriacæ. Colligente ipso prodierunt

Orationes Vienna Austria ad Divum Maximilianum Casarem Augustum, aliosque Principes dictæ. 4. In calce: Impressum Vienna Pannonia per Hieronymum Vietorem, expensis vero Leonardii & Lucæ Alantsee Fratrum. Anno MDXVI. Dedicat eas

cas Khulberus Reverendissimo Patri ac Domino Matthæo miseratione divina sancti Angeli Cardinali Gurcensi.

XII, GEORGIUS RITHAYMERUS.

Cella Castellum germana mihi Patria, vetusto, eodemque religiosissimo Virginis Matris templo famigerata, ait ipse Georgius in compendio orbis terrarum p. 39. dum Styriam describit. Multis annis Græcæ linguæ, tum etiam artium Professor in Universitate Viennensi. Valentinum Pierer ad S. Lamberti Abbatem præcipue Meccenatem habuit. Defunctus est exeunte an. MDXLIII. Edero referente. Edita sunt ab eo sequentia :

1. *Ad Illustrissimum Principem & Dominum Wilhelmum Bavaria Ducem Comitem Palatinum in conventu trium Regum cum Casare Vienna Pannonia Oratio nomine celeberrimi ejus Urbis gymnasii per Magistrum Georgium Rithemer habita. Existit in cit. Khulberiana collectione.*
2. *De arte Grammatica. 8. Exemplar, quod præ manibus habui, caruit fronte; in calce legitur: Vienna Pannonia per Joannem Singrenium Anno post natum Christum millesimo, quingentesimo, vigesimo tertio decima quarta Novembris.*
3. *Επιτομή Γεωργίῳ Ριθαυμῆρος περὶ τῶν ὀκτῶ τῆς λογῆς μέρων, καὶ σχηματισμῶ τῶν χρόνων. Γρηγορίῳ τῆς θεολογῆς γνῶμαι μονόσιχοι κατὰ ἀλφάβητον ἰαμβικόν. χρυσᾶ ἔπη τῆς Πυθαγόρου. Cum gratia & privilegio Serenissimi Principis Archiducis Austria &c. 8. in calce: Vienna Austria per Joannem Singrenium, vigesima quinta Aprilis. Anno post natum Christum sesquimillesimo vigesimo quarto.*
4. *Georgii Rithmayeri (ita typi error) de orbis terrarum situ compendium ad Hieronymum Weyrer Præpositum Reycherspergensem Norimberga apud Joh. Petrejum. An. MDXXXVIII. 4.*
5. *Georgii Rithaymeri libellus Εἰσαγωγικὸς in ὀκτὸ libros physicorum Aristotelis ad Valentinum Pierer divino nutu Abbatem Divi Lamperti. Vienna Pannonia per Joannem Singrenium*



MDXXXIX. in 8. In præfatione spondet Rithaymerus se ad eundem modum duos libros de generatione & corruptione, tres libros de anima, & ea, quæ parva naturalia vocant, editurum. An promissis steterit? ignoro.

XIII. ANDREAS PERLACHIUS.

Witsheimensis, Artium Magister, Medicinæ Doctor, & per triginta quatuor annos in Universitate Viennensi Professor Matheseos Academicus fasces suscepit an. MDL. Fundavit stipendium. Uxorem habuit (teste Bruschio in Laureaco p. 274. Sebastiani Gleiß Med. Doctoris filiam Latinarum, & Græcarum literarum cognitione præstantem, quæ viro supervixit; ipse mortuus III. Id. Jun. an. MDLI. sepultus est in cœmeterio Divi Stephani. Lapis parieti affixus sic sonat:

D. O. M.

Andræe Perlachio Stiro, summæ eruditionis Mathematico, & Medico, pietate, moribus, ingenio integerrimo hic sito, qui vix. ann. LX. mens. VII. dies XXIII. decessit XI. Junii ann. Christi MDLI. Philippus Gundelius Jurecon. XL. ann. jugi amicitia illi junctus PP.

Opera sunt:

1. *Usus Almanach seu Ephemeridum ex commentariis Georgii Tanstetter Collimitii Præceptoris sui decerpti, & in quinquaginta propositiones per Magistrum Andream Perlachium Stirum redacti.* 4. in calce: *Impressum Vienna Fannonica per Hieronymum Vietorem expensis Joannis Metzker Bibliopola anno Domini Millesimo, quingentesimo, decimo octavo.*
2. *Commentaria Ephemeridum clarissimi viri D. Andræe Perlachii Styri Medicæ Artis Doctoris, ac in Academia Viennensi Ordinarii quondam Mathematici ad usum studiosorum ita fideliter conscripta, ut quisque absque Præceptore ex sola lætione integram inde artem consequi possit.* Vienna Austria excudebat Egidius Aquila. Anno M. D. LI. 4. in calce: *excudebat Egidius Aquila Mens. Decemb.* Opus posthumum, e voluntate tamen autoris editum.
3. *Ephemerides plurium consequenter annorum.* 4.



XIV. CHRISTOPHORUS WIDMANN.

Græcensis Philosophiæ ac Medicinæ Doctor; in Academia Viennensi Poeseos Professor, præter repetita Decani & Procuratoris Nationis Austriacæ munia supremum Rectoris tenuit an. MDLXVII. defunctus X. Kal. Jun. an. MDLXXI. biduo post sepultus, eique Orationem funebrem Gasparus Zeitvogel Med. Studiosus dixit. Reperi in laudem *Astrologia carmen a Christophoro Widmann Gracensi Stiro Artium & Philosophia Magistro scriptum in gratiam nobilis & Magnifici viri Domini Thomæ Widmanni inelyti Ducatus Bavaria in Regimine Burckhausensi Cancellarii & Comitis Palatini Cesarei &c. Patruelis & Mecoenatis sui observandissimi. Vienna Austria excudebat Michael Zimmermann. Anno MDLXIII. in 4.*

XV. PETRUS MUCHITSCH.

Cilejensis Philosophiæ & Theologiæ Doctor Canonicus Ecclesiæ Cathedralis Viennensis; pluribus annis Græcæ linguæ Professor in Academia Viennensi, cui etiam tertium præfuit. In Styriam regressus, Græcensis Parochus & Archidiaconus creatus est. *Vir (Metzgeri verbis cætera prosequor) singulari doctrina & virtute præditus, acerrimus Catholica fidei defensor, ac contra Lutheranos, præcipue Württembergenses Theologos scriptor egregius, quod ejus libri scriptaque testantur. Vir Apostolicus, cujus Zelo multi fidem Catholicam amplexi sunt. Hic a Collegio Pöllensi Canonicorum Regularium in Præpositum postulatus, Præposituram simul & Archidiaconatum insigniter est moderatus. E vivis decessit 29. Aprilis A. 1600. Scripta hic memorata sunt:*

1. *Theses de justificatione* ob bellum inde natum memorabiles; has enim contra Hehusium cum Principe suo Viennæ comorantem olim pro licentiæ gradu a Petro expositas Jacobus Herbrandus impugnavit, ut in principio sequentis Pædagogicæ refertur.
2. *Padagogia* oder *Schulführung* der *Württembergischen Theologen*, darinn die *Vorred*, und der *Beschluß* des *Buchs*, so die *Würtz*



Württembergischen Theologen wider *Robertum Bellarminum*, und *Petrum Hansonium* ausgehen haben lassen, mit Grund der Wahrheit widerlegt wird, in zwey Theil getheilt. Gedruckt zu Grätz bey Georg Widmannstetter MDLXXXVIII.—LXXXIX. 4. recusum ibidem an. MDXC. & Ingolstadii eodem anno. Primæ parti, non expectata secunda, mox comparuit opposita responsio sub nomine M. Wilhelm Holder Stiftsprediger zu Stuttgarten, quam etiam juvenis Herbrandus suis Græcium attulit. Verum Muchitschius scriptum sequens reposuit:

3. Gründliche und wahrhaftige Antwort auf den weitspazierenden Bericht, den die Württembergische Theologen auf den ersten Theil der Schulführung gethan. Grätz in Steyer bey Georg Widmannstetter MDLXXX. 4.

XVI. CAROLUS WEINBERGER.

Græcii nobili sanguine ortus Ferdinandi Ducis Styriæ tum Imperatoris olim Ephæbus, ordinem dein Minorum S. Francisci Reformatorum professus magni nominis Orator evasit, Apostolici propterea Prædicatoris titulo, & Episcopatus Nazareni honore decoratus. Vitam reliquit Retzii in Austria XV. Kal. Maji an. MDCXX. ibique tumulum accepit. Edidit Viennæ, ubi ad S. Hieronymum sacer Orator floruit, germanico idiomate Conciones funebres. an. MDCVII.

XVII. LEORNARDUS BACHINUS.

Græcensis pene a puero in societatem JESU adscitus, post humaniores literas Senis in Thuscia traditas & studia Theologica in collegio Romano decursa Philosophiam Viennæ & Græcii, subinde Theologiam utramque scholasticam & moralem docuit, & sacras literas est interpretatus, Cancellarii etiam munere functus Græcii. Rexit collegium Goritiense & Viennense, Domus etiam Professæ Præpositus, & aliquando Vicarius Provincialis. Augustæ Leopoldinæ Imp. fuit a sacris confessionibus. Digna lectu sunt cætera elogia, quibus virtutes ejus,



ejus, laboresque Apostolicos Sothvellus (in Bibl. Scriptor. S. J. p. 548.) describit. Tandem Prid. Id. April. an. MDCLXV. dum sacras horas Canonicas persolveret, mortalitati succubuit Græcii. Edidit suppresso nomine

Coronam anni Mariani, hoc est, vitas duodecim Sodalium Marianorum. Græcii, Typis Widmanstadii. 1636. in 12.

Ludov. Schönleben (in sua sexagena p. 85.) addit: *Et plura pia opuscula, recentissime vero Divum Franciscum Xaverium Indiarum Apostolum Potamiensium Patronum miraculis clarum. Alia meditatur indefessus.*

XVIII. RUDOLPHUS WISER.

Lambertini monasterii decus, quod an. MDGXXI. ingressus est Rudolphus, ipse e Styria superiori oriundus. Etsi vero scientia & virtutibus excelluerit, nostrum tamen in censum fortassis nunquam venisset, nisi Salisburgum ei Philosophiæ cathedram publicam concessisset; ibi enim verbo & scriptis demonstravit, quantum posset. Fata suprema passus est III. Kal. Aug. an. MDCLXVII. in Præpositura Afflentina. Illa autem scripta sunt eodem anno MDCLI. Salisburgi excusa in 4.

1. *De auditu physico.*
2. *De cælis.*
3. *De generatione & corruptione.*
4. *De anima.*

XIX. FERDINANDUS HERBERSTAIN.

E nobilissima & antiquissima familia Græcii vitam auspiciatus societatem JESU an. MDCXXV. vicesimo ætatis ingressus est. Disciplinas tum mansuetiores, tum severiores pene omnes magna ingenii & doctrinæ laude explanavit. Domus Professorum, & Collegiorum Judenburgensis, Lincensis ac Viennensis gubernio, amore & prudentia temperato clarus ad vitam cœlestem abiit Styriæ Austriæ XI. Cal. Febr. an. MDCLXXIII. Dedit in lucem

Conclusiones Juridicas de judiciis in lib. II. Decretalium Gregorii IX. Pont. Max. Græcii typis Haredum Ernesti Widmanstadii



stadii 1649. 12. Defendit eas publica in disputatione Donatus Vincentius Tabarellus de Fatis S. R. I. Eques, Dominus in Castro Viguli.

XX. FERDINANDUS MONTEGNANA.

Cilejensis, quem quidem Valvasor (Tom. II. Carniol. p. 353.) Labacensem vult, quod Parentes Labaco Cilejam demigrassent; sed forte index Sothvelo adjectus, ubi Labacensis dicitur, Valvasorio hanc opinionem ingessit. Szörenyus etiam in Bibl. Græcensi Styrum Cilejensem vocat. Ut ut sit, Ferdinandus an. MDCXVII. ætatis XVIII. Societatem JESU ingressus quatuor vota professus est. Humaniores literas diu, Eloquentiam suos docuit. Theologiam moralem, Canones, & sacram scripturam aliquamdiu explicuit. Missionibus variis cum fructu perfectis, Optimatum gratia pollens plenus dierum ac bonorum operum migravit ad Remuneratorem omnium Viennæ VI. Kal. Maji an. MDCLXXIV. Reliquit

1. *Orationem funebrem dictam Labaci in Cathedrali S. Nicolai Ecclesia die 23. Martii an. 1636. in exequiis Ferdinandi Cesaris. Græcii typis Widmanstadii.*
2. *Volumen de quadratura circuli 1673. absque autoris nomine.*
3. *Annales Societatis JESU plurimum annorum, quæ tamen lucem non viderunt, referente Valvasario loc. cit.*
4. *Plura opuscula, eodem teste,*

XXI. PHILIPPUS MÜLLER.

Græcii vivere exorsus an. MDCXIII. Societatem JESU decimo sexto post anno amplexus Philosophiam, Mathesim, Theologiam moralem & speculativam partim Græcii, partim Viennæ docuit. Leopoldi Imperatoris in disciplinis Mathematicis & juris instructor & postmodum per viginti annos conscientiæ arbiter. Circa literaturam sollicitus Petrum Lambecium ad præfecturam Bibliothecæ Augustæ omnibus modis promovit, & Collegium naturæ curiosorum Germaniæ apud Leopoldum commendationibus suis plurimum adjuvit. Mor-
tale

tale corpus exiit Viennæ VII. Id. Aprilii. an. MDCLXXVI. Adamus Franc. Fröschl in oratione defunctis Viennensibus Academicis dicta hoc eum ornavit elogio: *in aulico Theatro exhibuit, quam gloriosum sit illud mellifluo Doctori prodigium: humilitas honorata, cui præter vitæ etiam in aula nunquam religiosi tenoris oblita laudes hæc plaudat satis commendatrix epitome, quod Augustissimo Leopoldo fuerit & probatissimus literaria disciplina Magister, & conscientia Arbitrator. Habentur ejus*

1. *Affertiones ex Universa Philosophia suis rationibus & explanationibus munita. Græcii typis Widmanstadii 1648. in 16.*
2. *Philosophia Leopoldo tunc Hungaria Regi tradita tribus tomis. MS. in Bibl. Cæs.*

XXII. ZACHARIAS TRABER.

Marti-Affluensis natus IX. Kal. Sept. an. MDCXI. Græcii in societatem JESU receptus, cum Viennæ, tum alibi Mathesim per XV. annos docuit. Rexit etiam Seminarium Viennense SS. Ignatii & Pancratii. Peste occubuit Viennæ VIII. Id. Apr. MDCLXXIX. Mitterdorfero in Consp. Hist. Univ. Vienn. P. III. ad h. a. dicitur *ab editis in lucem libris clarus. Mihi, sicut & Szörenyo solum innotuit ejus Tubus opticus cum figuris æri incis. Vienna 1675. fol.*

XXIII. MICHAEL HEINZ.

In lucem datus III. Id. Jan. an. MDCXXV. Græcii, ibidemque in societatem JESU an. MDCXLI. admissus Mathesim Græcii, Viennæ Philosophica cætera, & Theologica S. T. D. tractavit. Vir profundissimi & præsertim in Mathematicis perspicacissimi ingenii. Mortis faucibus succubuit Viennæ IV. Id. Martii an. MDCLXXXIV. Posthuma est ejus

Trigonometria universa, quæ MS. in Bibliotheca Mathematica Græcensi asservatur.

XXIV. EDMUNDUS MANICOR.

Vir pluribus æquandus; ita enim verbo calamoque exceluit, ut necessaria Ecclesiastico muneri omnia possedisse dicendus



dus sit. Natus Græcii, transactis in eadem Academia studiis
 in Asceterium ad Montes se condidit; protractus tamen est in
 lucem, ut Ethicam, controversiasque in Salisburgensi Athe-
 næo doceret; amplius vero eminuit ut consiliarius Principis
 Corbejensis, ac Generalis ejus in spiritualibus Vicarius. Cum
 porro meritis Edmundi altiora paterent, mors invidit, tumulo-
 que immaturum dicavit X. Kal. Sept. an. MDCLXXXV. æta-
 tis an. XLVIII. Opera ejus adhuc ostendunt, concionato-
 rem celebrem fuisse.

1. *Filius prodigus, sive Conciones super Evangelium Luca cap. XV. Salisburgi 1676. 4.*
2. *Horoscopus sacer.*
3. *Fasciculus sacer.*
4. *Dominicale. Partes III. Colonia 1691. 4.*
5. *Concordantia in corpus Juris MS. opus imperfectum.*

XXV. BASILIUS FINCKENEIS.

Multa de Basilio dici possent, nisi compendio omnia tra-
 ctanda suscepissem. Parentibus ille nobilibus Wildonii ortus,
 ut Græcii profana studia absolvit, monasticen ad S. Lambertum
 induit, tantosque fecit progressus in virtutibus, ut Tyronibus
 Magister præficeretur. Verum scientiis ejus alius debebatur
 campus; Salisburgi jussus Philosophiam docuit, vixque domum
 redux iterum a monasteriis S. Georgii in Tyroli, & ad Scotos
 Viennæ expetitus est. Postremum tertio doctioris anno, sci-
 licet MDCXCIII. pridie Id. Decembris morte sibi ereptum
 planxit. Ita quos vixit in religione quinque & viginti annos
 terminavit vir labore infractus, status sui æstimator, candore
 morum, affabilitateque admirandus. Scripta ejus sunt:

1. *Conclusiones ex Universa Philosophia. Salisburgi 1689. 8.*
2. *Problemata & theoremata Philosophico-logica, Physica, & Metaphysica, Salisburgi 1689. 4.*
3. *Commentarius in instrumenta bonorum operum S. Benedicti. Vienna 1691. Opus hoc postea suorum opusculorum spiri-
tualium primitias dixit,*

4. *Theologia Angelica sive problemata Theologica de Angelis. Vienna typis Cosmerovianis. 1692. 8.*
5. *Theologia Divina & humana, sive Conclusiones historico scholastico Theologica de DEO homine. Vienna typis Andreae Heyingeri 1693. 8.*
6. *Theologia controversistica tribus controversiis universas fidei controversias comprehendens, quibus decisis decisa sint omnes. Vienna Austriae apud Susannam Christinam Matthæi Cosmerovii viduam, 1693. 8.*
7. *Theologia supernaturalis & naturalis de operibus sex dierum sive de mundo magno & parvo divisa in septem partes. Vienna Austriae typis Andreae Heyingeri 1694. 8. antequam hoc opus prelo exiret, Basilius defunctus est.*
8. *Theologia polemico-mystica, & Atheo-controversistica. Vienna 1693. 8.*
9. *Problemata de natura & objecto Theologia. Salisburgi 1685. 8.*

XXVI.

JOACHIMUS HARING.

Græcium dedit eundem orbi & societati JESU; hæc vero eo sic usa est, ut zelosum in vinea Domini operarium se habere senserit. Multa ille pro gloria DEI conatus est, retulitque fructus haud poenitendos. Ereptus est mundo Viennæ an. MDGXCIV. In Germanicam linguam transtulit

1. *P. Nicolai Avancini vitam & doctrinam Christi. Vienna 1687. in 8.*
2. *Leges Congregationis Crucigerorum. Vienna. in 8.*

XXVII.

AMANDUS GRÆCENSIS.

Ordinis Minorum S. Francisci Seraphici Capucinorum professor, Concionator verbo & calamo celeberrimus, ac Religiosæ vitæ probatis exemplis bis Provinciæ suæ Styriæ supremus moderator electus uberes fructus disciplinæ regularis prudentia & zelo suo retulit. Ad meliorem vitam abiit Græcii ad S. Antonium, quod cœnobium ad Scalas vocant, X. Kal. Martii an. MDCC. completis in religione XLVIII. annis. Fructus in vinea Domini collectos ex operibus conjicias, quæ reliquit idiomate Germanico:



1. *Pascua anima Christiana pro Dominicis & festis. Partes dua. Clagenfurti apud Mathiam Kleinmayr. 4.*
2. *Quadragesimalia quatuor: primum de torpore anima. Salisburgi apud Joan. Bapt. Mayr. 1698. 4.*
Secundum de conscientia. Gracii ex typographia Widmanstadiana. 1702. 4.
Tertium de anima fideli. Ibidem 1705. 4.
Quartum de itinere ad cælum. Ibidem 1707. 4.

XXVIII.

EDMUNDUS SCHLOS GO.

Asceterium nobile Benedictinum S. Pauli in Carinthia Edmundum debet Marpurgo Styriæ, ubi hic an. MDGLXIII, natus est. Sed neque illi Viro isto diu frui licuit. Cum enim Philosophiam in Academia Salisburgensi publice prælegisset, jamque suis domi, tum etiam in Dominio Collegensi Theologicas traderet disciplinas, immaturo fato decessit an, MDCCII. vitæ monasticæ vigesimo. Opera ejus sunt:

1. *Aristoteles Philosophus Theorico-Politicus. Salisburgi 1697. in 12.*
2. *Navigatio Philosophica in tres classes distributa. Ibidem, 1697. fol.*
3. *Horologium Monastico-San-Paulense. MS.*

XXIX.

MARIANUS LENDELMAYER.

Liezio oriundus Benedictinum institutum ad Montes amplexus est, eamque de se spem conversatione sua fecit, ut sodalium consensu an, MDCCII, XV. Kal. Dec. ad Abbatialem dignitatem fuerit evectus; verum multa pro decore Domus DEI facturum mors sustulit an, MDCCVII. Cum Philosophicas disciplinas Salisburgi in nonum annum publice traderet, multis erat admirationi, quod ab ineunte ætate recentiorum placitis imbutus totum se jam D. Thomæ dedisset; hujus quidem scholam scripta ejus *Salisburgi excusa* produunt:

1. *Questiones Philosophica. 1695. 4.*
2. *Tractatus de Sacramentis in genere. 1699. 8.*

3. Tra-



3. *Tractatus de sanctissimo Eucharistia Sacramento.* 1699. 8.
4. *Tractatus de Deo uno.* 1700. 8.
5. *Tractatus de Deo trino.* 1700. 8.
6. *Tractatus de virtute & Sacramento Poenitentia,* 1701. 8.
7. *Tractatus de vitiis & peccatis.* 1702. 8.
8. *Tractatus de Angelis.* 1702. 8.

XXX. MAURUS LIECHTENHAIMB.

Gracii vitam temporalem, spiritualem ad S. Lambertum orsus, ceteram majori parte Salisburgi in Academia aliores fere omnes scientias tradendo transegit: Tandem nimia studiorum contentione ita viribus concidit, ut memoriam & intellectum prope amitteret, nihil habens ex præteritis scientiis, nisi ut alii scirent, eum duobus & viginti annis Professore publicum eruditissimum fuisse. Miseras has finiit X. Kal. Apr. anno hujus seculi nono, vitæ Religiosæ quarto & quadragesimo. Operibus suis doctis adhuc docet, quæ *Salisburgi* omnia prodierunt:

1. *Controversia Logicales* 1678. 12.
2. *Controversia ex octo libris physicorum* 1678. 12.
3. *Controversia Philosophica.* 1678. 12.
4. *Controversia Philosophica.* 1679. 12.
5. *Quæstiones de essentia & existentia Sacramentorum.* 1685. 8.
6. *Quæstiones de effectibus Sacramentorum.* 1685. 8.
7. *Dissertationes Theologica de virtute & Sacramento Poenitentia.* 1686. 8.
8. *Dissertationes de Deo Uno.* 1689. 8.
9. *Quæstiones de actibus humanis & peccato actuali.* 1689. 8.
10. *Quæstiones Theologica de necessitate, natura, divisione, & causis gratiæ divina.* 1691. 8.
11. *Dissertationes de incarnati verbi mysterio.* 1691. 8.

XXXI. ENGELBERTUS BISCHOFF.

Eisenarzensis natus pridie Id. Nov. an. MDCLIV. Societatem JESU ingressus an. MDCLXXI. Vir prudentiæ magnæ, virtutis perfectæ, doctrinæ consummatæ. Oratoriam artem Gracii,



Græcii, Viennæ Philosophiam sex annis docuit. Admotus porro explanandis fidei controversiis, semestri completo ab-rumpere, & Theologicam cathedram cum aula permutare jus-sus est, Confessarius primum Serenissimarum Archiducum, tum Augustorum Amaliæ & Josephi I. Imp. cui an. MDCXI, XV. Kal. Maji defuncto ipse paucos post menses in tumulum suc-cessit, mortuus III. Kal. Julii ejusdem anni. Habentur ejus

1. *Philosophia Mariana iconibus æri incisus distincta. Vienna 1694. 8.*
2. *Regium Majestatis & amoris epithalamium Augusto Regi Josepho & Augusta Amalia dicatum. Vienna 1698. fol.*
3. *Genethliacum primogeniti Augusti Regis Josephi Symbolis exul-tum. Vienna 1700. fol.*

XXXII.

EDMUNDUS FERLINZ.

Jaringæ in collibus Slavonicis IV. Id. Maji an. MDCLXXVIII. orbi datus, completo decimo octavo ætatis anno jam Philosophiæ Magister inter Eremitas S. Augustini receptus est. Philosophiam & Theologiam in scholis domesti-cis Viennæ & Græcii suis tradidit, in Universitate vero Vien-nensi an. MDCCXI. Doctoris gradum suscepit. Rexit ali-quamdiu Conventum Labacensem, sed impetrata missione, paulo post ad docendum in Canoniam Gurcensem evocatus, ibidem XVI. Kal. Jan. an. MDCCXVIII. ad aliam vitam abiit. Edita est ab eo

Disputatio Ethica juxta consuetam philosophandi methodum in mille Conclusiones concinnata, continens generalia quadam præcepta tripartita Philosophiæ Moralis: Monastica, œconomi-ca, & Politica. Vienna Austria typis Joan. Georgii Schlegel MDCCVII. 8.

XXXIII.

COELESTINUS ROMOSER.

Styrum fuisse Cœlestinum mihi extra dubium est, quam-vis nondum compererim, quem locum natali suo decoraverit. Celebri ad Montes Benedictino monasterio major per eum honos

honos accessit, cum Philosophiam & Controversias fidei Salisburgi in Athenæo explicuit, ac Rector eidem Academiæ pluribus annis præfuit. Redux curæ animarum datus, dum Gröbmingæ sacri Curionis munia sedulo exercet, ad Dominum migravit an. MDCCXX. Labores ejus docti hi sunt:

1. *Philosophia rationalis. Salisburgi 1703. fol.*
2. *Meteora Historico-philosophica. Ibid. 1700. fol.*
3. *Quæstiones selecta Philosophica. Ibid. 1700. 8.*

Philosophica hæc conjuncta iterum, auctaque & in duos tomos partita prodierunt ibidem an. 1705.

4. *Theses aliquot mensura. 8.*

XXXIV.

ERNESTUS VOLS.

Radkerspurgensis orbem XIII. Kal. Janu. an. MDCL. ingressus, omnibus prætulit societatem JESU, quam XVII. ætatis anno amplexus est. Mathesim, in qua primas tulit, diversis in collegiis docuit annis XIX. suos vero privatim annis VI., Theologiam moralem annis X. sacros Canones annis IV. Scripturam sacram anno uno explanavit. Lincensi collegio præfuit annis tribus. Exhaustus laboribus vivere desit Viennæ in collegio Academico XI. Kal. Aug. an. MDCCXX. Ex ejus operibus mihi innotuerunt:

1. *Parvus Atlas Regni Hungaria. Vienna 1689. 8. suppresso nomine.*
2. *Institutionum Mathematicarum libri tres. Anno eDITI In LVCEM SALVATORIS. Vienna Austria typis Joa. Georgii Schlegel. Opus antehac discipulis dictatum, nunc usus commodioris ergo typis expressum inscribit Eugenio Francisco Sabaudia & Pedemontii Duci.*

XXXV.

ANTONIUS STROZ.

Græcium præter vitam Antonio fere nihil contulit; extera enim, quibus usus & ornatus est, Monasterium S. Lamberti sibi propria voluit; hoc quippe eum adhuc puerum in scholis suis educavit, hoc eum in gremium suum assumpsit, hoc eum tan-



dem Abbatiali mitra an. MDCCVII. donavit. Nec' vero defecere Antonio, quorum ratione æstimaretur, virtus, & scientia. Illius quidem exemplis ubique elucebat; hujus autem specimina præsertim dedit Viennæ tradita apud Scotos Theologia, & Salisburgi, ubi Philosophiam triennio exposuit. Supremum diem clausit an. MDCCXXV. ætatis LXIX. Religionis XLI. Opera ejus hæc sunt:

1. *Discursus speculativo-præctico-Theologici de efficacia meritorum Christi, & Sanctorum: de suffragiis & indulgentiis. Viennæ literis Andrea Heyingeri 1694. 8.*
2. *Quæstiones speculativo-morales in Logicam, & Metaphysicam. Salisburgi, 1696. 4.*
3. *Compendium super universam Physicam, 1696. 8.*
4. *Thesés menstruæ aliquot.*

XXXVI. ÆMILIANUS GRÆCENSIS.

Ex Ordine Minorum S. Francisci Seraphici Capucinorum Provinciæ Styriæ filius, Concionator ad senectam usque invitus, & proficius, præmium laborum suorum accepturus discessit ex hac vita Radkersburgi (Regedinum vocant) XVIII. Kal. Julii an. MDCCXXVI. expletis in instituto suo annis LVIII. Specimen Concionum ejus Apostolicarum est:

Aurifodina divina in quatuor exuberantes venas, seu in quatuor partes distributa. Græcii apud Daniel Balders. 1712. —17. in 4.

XXXVII. MICHAEL A S. CATHARINA.

Græcio ortus, sed an. MDCLXXX. ordinem Eremitarum Excalceatorum S. P. Augustini professus virtute & scientia eundem illustravit, Prioris, Definitoris, & Magistri Novitiorum officiis clarus, humilitate, modicaque Nominis sui cura clarissimus, cujus etsi plurima exempla supersint in posterorum memoria, illud ad nostram rem singulariter facit, cum præclarum opus Asceticum ad Tyronum instructionem scriptum alteri haud parvi nominis Viro sponte obtulit, reliquitque hujus

hujus nomine vulgandum. Ad superos abiit dierum plenus
 Viennæ an. MDCCXXXIII. Quem discipulis suis instillave-
 rit spiritum, sequentia probant opera suo nomine edita:

1. *Trinum perfectum, via, veritas, & vita, seu semita sa-
 lutis tripartita docens & ducens de via purgativa per veri-
 tatem illuminativam ad vitam unitivam. Tomi tres. Au-
 gusta Vindelicorum 1711. fol. Recusum aliquoties.*
2. *Christlicher Seelen-Spiegel. Augsburg. 1731. fol. Tomi
 duo.*
3. *Betrachtungen. Augsburg. 1724. 8.*
4. *Vita Eremitarum utriusque sexus in folio oblongo cum figuris,
 MSS. reliquit prelo dignum.*

XXXVIII. SIGISMUNDUS PUSCH.

Græcii XVII. Kal. Sept. an. MDCLXIX, mundum in-
 gressus, eidem iterum III. Id. Octobr. an. MDGLXXXVI.
 renunciavit in Societatem JESU receptus. Inclaruit in ea tra-
 dendo Philosophicas & Theologicas disciplinas Viennæ &
 Græcii; multis etiam annis hic Cancellarii munere perfunctus.
 Peculiari amore Patriæ, ejusdem historiam aut ipse condere,
 aut aliis media colligere constituit, ingenti felicitate consecu-
 tus, ut ubique arcana scrinia liberali manu aperirentur ad di-
 plomata excerptenda, ex quorum collectione aliqua Frölichius
 in lucem emisit, alia adhuc quam plurima sunt *averdota*.
 Diem extremum habuit Græcii IV. Kal. Aug. an. MDCCXXXV.
 Typis vulgata sunt ejus:

1. *Chronologia sacra Ducatus Styria Pars prima ab origine nas-
 centis Ecclesia usque ad Ottocarum I. Græcii apud Heredes
 Widmanstadii. MDCCXV. 8.*
2. *Chronologia inclyti Ducatus Styria ab Ottocaro Duce I. usque
 ad excessum Leopoldi II. Ducis III. sive ab an. MCLXXX.
 usque MCCXXX. Græcii apud Heredes Widmanstadii.
 MDCCXX. 8.*
3. *Theologia speculativa. Tomi VIII. diversis annis editi, ali-
 qui etiam posthumi Græcii & Styræ excusi.*



XXXIX.

GEORGIUS RÜESS.

Natus Græcii IV. Id. Martii an. MDCLXXXII. ut ad Eremitas S. P. Augustini est admissus, eruditionis suæ copiosa dedit specimina, & recepit testimonia. Ab an. MDCCVII. usque MDCCXIX. suis docendis domi incubuit, reliquo vitæ tempore in Universitate Viennensi publice sacros Canones est interpretatus. Doctoratum Theologicum an. MDCCXIV. suscepit. Prioratum Viennensem pluries, Provinciæ Austriæ & Hungariæ gubernium semel administravit. Consultor & Qualificator sacræ inquisitionis Generalis Hispaniarum, dum ea viguit. E vita migravit apoplexia tactus XIII. Kal. Oct. an. MDCCXLVIII. vitæ Religiosæ L. Superfunt MSS. Pro-Decani & Magnifici Rectoris censura pro typis approbatæ ejus *Resolutiones animastica collecta ex libris Fundatissimi Doctoris Ægidii Romani &c.* in 4. Cur adhæserit editio, me latet.

XL.

CRESCENTIUS KRISPER.

Græcii, ubi natus est, Ordinem Minorum S. Francisci Reformatorem amplexus major evasit. Theologus excellens & prudentia æstimatus. Minister Provincialis Austriæ an. MDCCXXVI. Viennæ in comitiis provincialibus, Diffinitor Generalis Mediolani in comitiis Ordinis an. MDCCXXIX. & sequenti anno in Generali Romana Congregatione totius Cismontanæ familiæ Commissarius Generalis electus est. Erepus mundo an. MDCCXLVIII. Ejus habentur

1. *Nubila Fansenismi & Quesnellianismi luce dogmatico-scholastica dispulsa.* Augusta Vindelicorum. 1726. 4.
2. *Theologia scholæ Scotistica universa.* Tomi quatuor. Augusta Vind. 1728—29. fol.
3. *Philosophia scholæ Scotistica universa.* Aug. Vind. 1635. fol.
4. *Theologia textualis Scoti in supplementum edita prius universæ Theologiæ scholæ Scotistica.* Partes duæ. Vienna Austria. 1738. 4. Aliqua etiam alieno nomine edidit.

XLI.



Quamquam multos recensuerimus claros viros Græcii natos, & longe plures supersint, tantus tamen est Erasmus, ut, si unus ipse Urbi huic fuisset datus, ea nihilominus sibi prærogativam præ multis aliis urbibus propter ipsum vendicare posset. VI. Non. Oct. an. MDCC. lucem primam vidit, transactisque sedecim annis se VI. Id. Oct. in sinum Societatis JESU recepit. Vir eruditionis vastæ & solidæ, Græcæ linguæ peritissimus, cuique parem in re antiquaria Provincia Austriaca non genuit; humilitate vero, serviendi promptitudine, modestia, pietate, solitudinis amore in paucis æstimatus. Præter philosophica studia, aliaque publice tradita, potissimum suis Mathesim repetentibus præfuit: nascenti autem Collegio Theresiano datus linguam Græcam, Historiam Generalem, antiquam, & recentiorem, rem numariam nobilissimæ juventuti explicuit. Supra modum amatus a discipulis, & plusquam vellet honoratus, An. MDCCCLVIII. nonis Julii naturæ debitum persolvit. Opera ejus fere hæc sunt:

1. *Utilitas rei Numaria veteris. Accedit appendicula ad numos Coloniæ per Cl. Vaillantium editos 1733. 8.*

2. *Appendicula ad Numos Augustorum & Cesarum ab Urbibus græce loquentibus cufos, quos Cl. Vaillantius collegerat. Vienna 1734. 8.*

3. *Dissertatio de Numis, monetariorum veterum culpa vitiosis. Vienna. 8.*

Ediderat hæc opuscula anonymus, eadem tamen collecta & aucta præfixo nomine suo recudi curavit, appellavitque: *Quatuor tentamina in re Numaria vetere. Vienna 1737. 4.*

4. *Animadversiones in quosdam veteres Numos Urbium. Vienna 1738. 8. Anonymus.*



5. *De figura telluris dialogus. Partes duæ. Vienna 1738. 8.*
8. Anonymus.
6. *Optica Colorum R. P. Castel S. J. Latinitate donata. Partes tres. Vienna 1744—45. Anonymus.*
7. *Appendicula duæ novæ, ad numos Coloniarum altera, altera ad numos Augg. & Cass. ab Urbibus græce loquentibus percussos. Vienna 1744. 8. Anonymus.*
8. *Annales Regum Syria. Vindobona 1744. fol.* Opus hoc non æquis oculis omnes adspexerunt. Quamquam enim eruditionem suspicerent, immo summis laudibus extollerent, quia tamen Maccabaicorum duorum librorum auctoritas ex hoc firmaretur, primum Actorum Lipsiensium scriptores an. MDCCXLV. Mense Sept. p. 405. hac de causa dicam moverunt; inde prodiit Ernesti Friderici Wernsdorffii de fontibus Historiæ Syriæ in libris Maccab. Prolusio. Lipsiæ literis Jo. Christiani Langenheimii. 3. Sept. MDCCXLVI. At vero eodem adhuc anno lucem vidit Frölichii.
9. *De fontibus Historia Syria in libris Maccabaicis Prolusio Lipsiæ edita, in examen vocata. Vienna Austria typis Kaliw. 1746. 4.*

Prostratam causam Germani sui (libet ulterius adnectere, quæ successerunt, Frölichio manum retrahente) suscepit Gottliebii Wernsdorffii edita satis ampla commentatione historico-critica de fide historica librorum Maccabaicorum, quo R. P. Erasmi Frölichii Annales Syriæ, eorumque Prolegomena ex instituto examinantur, plurima loca librorum Maccabaicorum illustrantur, aut emendantur, itemque Chronologia Syriaca, & Judæa passim corrigitur. Vratislaviæ, sumptibus Joannis Jacobi Kornii A. G. R. MDCCXXXVII. 4. Opus sequenti anno Viennam allatum, Frölichium omnino imparatum hisce tricis reperit, quippe initiis collegii Theresiani, aliisque laboribus occupatissimum. Ejus igitur partes excepit Cl. P. Josephus Khell,



& ipse quondam Frölichii in re antiquaria & mathematicis disciplinis discipulus, & nunc successor meritissimus, ediditque Anonymus Autoritatem utriusque libri Maccab. canonico-historicam adsertam, & Frölichianos Annales Syriæ defensos adversus commentationem historico-criticam Viri eruditi Gottliebii Wernsdorffii. Viennæ Austriæ ex typographeo Trattneriano, MDCCXLIX. 4. Epistolam Frölichii, qua rationes silentii sui dat, & quid in hac defensione præstari velit, ostendit, autor præfationi inseruit,

10. *Introductio facilis in doctrinam de motu. Viennæ 1746. 8. Anonymus.*
11. *Dubia de Minissari, aliorumque Armenia Regum numis, & Arsacidarum Epochæ nuper vulgatis, proposita. Viennæ 1754. 4.*
12. *Dialogus, quo disceptatur: an Rudolphus Habsburgicus Ottocaro ab obsequiis fuerit, eundemque tentorio lapsi deluserit. Viennæ 1755. 4.*
13. *Ad numismata Regum veterum anecdota & rariora accessio nova. Viennæ 1755. 4.*
14. *Genealogia Souneckiorum Comitum Cilejæ, & Comitum de Heunburg specimina duo. Viennæ 1755. 4.*
15. *Diplomataria sacra Ducatus Styria. Partes dua. Viennæ. 1756. 4. Collectio horum diplomatum proprie est laudati Puschii; Frölichius eam auxit, illustravit, edidit.*
16. *Specimen Archontologia Carinthia. Viennæ, 1758. 4.*
17. *Notitia elementaris numismatum illorum antiquorum, quæ Urbium liberarum, Regum, & Principum, ac Personarum appellantur. Vindobonæ 1758. 4.*

Atque in his fere consistunt Frölichiana opera: cur autem non commemoremus saltem ea, quæ illustrissimi Discipuli ipso duce elucubrarunt: *Tentamen Genealogico-Chronologicum promo-*
venda



venda seriei Comitum & rerum Goritia conscriptum a Rudolpho S. R. I. Comite Coronini de Quiscoa L. B. a Cronberg. Vienna 1752. 4. & recusum deinde in fol. ubi effigiem Frölichii præfixam videas. *Casula S. Stephani Regis Hungaria vera imago, & expositio*, quas publica luce donavit Franc. Lib. Baro Balassa de Balassa Gyarmath. Vienna 1754. 4. *Diplomatarium Garstense editum a Mich. Car. Com. ab Althan.* Vienna 1754. 4. aliaque? Sane nec ipsi hi adjutricem manum Magistri sui negarunt, & diplomatarium istud Frölichius in præf. ad Partem primam Diplomatiorum sacrorum Styriæ sibi editori adtribuit.

Sufficiant jam hæc proposito literatæ Styriæ specimini, in quo absque electione sic versatus sum, ut, quem fors tangeret, ille locum hic acciperet, tametsi plures superessent hac in serie dignius constituendi. Nulla vero omissos manet injuria, cum in ipso opere meritis laudibus certo sint ornandi; ubi simul & fontes indicabuntur, unde pleraque desumpta sunt, & eorum memoria grata non prætermittetur, qui sociam operam contulerunt.



-
- Pag. 5. lin. penult. 1. Romanis,
 7. — 14. aurumpnum,
 11. — 16. Maximiltano orbè,
 15. — 29. Heshusium,
 24. — 12. exculturum.

